

RENATUS UGLIONE

TERTVLLIANI SCRIBENDI GENVS
IN OPVSCVLO QVOD « DE MONOGAMIA »
INSCRIBITVR

EX III LIBELLO COMMENTARIORVM
QVI LATINITAS INSCRIBVNTVR
MENSE SEPT. A. MCMLXXVII EDITO

Latinitas Christiana

TERTVLLIANI SCRIBENDI GENVS IN OPVSCVLO QVOD « DE MONOGAMIA »¹ INSCRIBITVR

« E tribus Tertulliani opusculis de matrimonio et de secundis nuptiis edisserentibus, luculentissimum est quod *De monogamia* inscribitur, idemque acerrimum et intemperantissimum ».² Haec Ioannis Quasten sententia quae iam pridem Petrus De Labriolle effatus est resumit et iterat: « Huius libelli elocutio acrior atque mordacior quam superiorum est ».³ Quae oratio pugnax et contentiosa auget in hoc opusculo peculiares habitus Tertullianei stili: illud eius incompositum robur oratorium, alias tumidum usque ad magnificentiam quae dici possit « baroca », alias astrictum usque ad obscuritatem, illam eiusdem affectationem splendidiorum verborum⁴ ac « figurarum », in primis *isocoli antithetici*, saepius *anaphoris*, *epiphoris*, *homoeoptotis*, *homoeoteleutis* nec non variis

¹ De Tertullianeo sermone plura scripta sunt, quorum nonnulla e praecipuis hic tantum enumeranda videntur: E. NORDEN, *Die antike Kunstsprosa*, Leipzig 1909², pp. 606-615; P. MONCEAVX, *Histoire littéraire de l'Afrique chrétienne*, I, Paris 1901; H. HOPPE, *Syntax und Stil des Tertullian*, Leipzig 1903; ID., *Beiträge zur Sprache und Kritik Tertullians*, Lund 1932; E. LOEFSTEDT, *Tertullians Apologeticum textkritisch untersucht*, Lund 1915; ID., *Kritische Bemerkungen zu Tertullians Apologeticum*, Lund 1918; ID., *Zur Sprache Tertullians*, Lund 1920; G. THOERNELL, *Studia Tertulliana*, I-IV, Uppsala 1918, 1920, 1922, 1926; CHR. MOHRMANN, *Observations sur la langue et le style de Tertullien*, in *Etudes sur le latin des Chrétiens*, II, Roma 1961, pp. 235-246; J. FONTAINE, *Aspects et problèmes de la prose d'art latine au III^e siècle*, Torino 1968, pp. 44-68; 122-148.

² J. QVASTEN, *Patrology*, II, Utrecht 1953, p. 305: « *De monogamia* is of Tertullian's three treatises on marriage and remarriage the most brilliant in style and most aggressive and abusive in contents ».

³ P. DE LABRIOLLE, *La crise montaniste*, Paris 1913, p. 382: « Le ton qui règne dans ce traité est ... plus violent et plus persifleur que dans les deux premiers » (i.e. *Ad uxorem* et *De exhortatione castitatis*).

⁴ Italice dicitur « parole, frasi, battute ad effetto ».

Non immerito IOANNES FONTAINE (cf. Q.S.F. TERTVLLIANI, *De corona*, Paris 1966, p. 16), de Tertulliana oratione scribens, « lenocinii » (gallice « préciosité ») mentionem facit, Senecae et Frontonis et Apulei more atque exemplo.

sonantibus numeris seu *clausulis* illustrati, deinde eorum quae *allitterationibus*, *polyptotis*, *chiasmis* et *annominationibus* consequuntur.

Exemplum ad quod attinet, unum e multis, propono huius libelli exordium:

« Haeretici nuptias auferunt,
psychici ingerunt (*homoeoteleuton*).
Illi nec semel,
isti non semel nubunt (*annominatio*).
Quid agis, lex creatoris? (*clausula creticus + choreus*).
Inter alienos spadones
et aurigas tuos (*chiasmus*)
tantumdem quereris de *domestico officio*
quantum de fastidio extraneo (*chiasmus*).
Proinde et te laedunt qui abutuntur
quemadmodum qui non utuntur (*annominatio*).
Verum neque continentia eiusmodi laudanda,
quia haeretica est,
neque licentia defendenda,
quia psychica est ... »⁵
(*tetracolon cum anaph. et epiph.*).

Exordium hoc — ut colligi potest — tali exstructum est ratione, ut exaequatum contrapositis membris schema magnam inter « haereticos » (marcionitas) et « psychicos » (catholicos) contentionem reddat ac referat. In ipso igitur — ut ita dicam — operis limine frequentia patet « vehementium verborum ... ac perbrevium contrariarumque sententiarum ... Antithesis tam immodice et aliquando fastidiose ab eo (*Tert.*) adamata est, ut naturalis eius norma ratioque esse videatur ».⁶

⁵ Monog. 1, 1. In referendis *De monogamia libelli locis*, adhibita est editio Tertulliani opera, II (*Opera Montanistica*), *Corpus Christianorum (Series Latina)*, Turnhout 1954, pp. 1229-1253 (ed. DEKKERS).

⁶ CHR. MOHRMANN, *op. mem.*, p. 244: «(Son fanatisme cherche toujours ...) les expressions les plus fortes, ... les constructions courtes et antithétiques ... Il (*Tert.*) a aimé l'antithèse d'une manière excessive et parfois fatigante. L'antithèse semble être la forme naturelle de sa pensée». Confer quoque E. NORDEN, *op. mem.*, p. 612: «Es ist begreiflich genug, daß die hervorragendste Eigentümlichkeit der sophistischen Kunstprosa, die Antithese, geradezu die Signatur des tertullianischen Stils ist».

* * *

In verborum quoque delectu⁷ libellus de quo agimus praecellit novis opimisque vocibus⁸ plerumque e vulgari ac forensi⁹ nec non christiano¹⁰ sermone desumptis. Praecipue notanda est vocabulorum ad iuris scientiam pertinentium consuetudo, iuridicam Nostri declarans institutionem: « quae quidem (*iuridica institutio*) tantum in Tertulliani orationem momentum habet, ut eius elocutio, etsi speciosa, numquam in ambiguitatem aut in redundantiam delabatur. Hac de causa verba apud eundem semper liquidos sensus atque distinctos habent ».¹¹ Huic forensium locorum studio tribuendum id quidem videtur quod universi generis argumentationes ipse frequentat. In capite enim vel in exitu argumenta-

⁷ De lexico Tertullianeo plura scripserunt H. HOPPE, *Beiträge ... (op. mem.)*, pp. 132-149; P. MONCEAVX, *op. mem.*, pp. 445-448; CHR. MOHRMANN, *op. mem.*, pp. 237-240; H. KOCH, *Tertullianus* (Pauly-Wissowa, V, A,₁ 837-838).

⁸ Novorum Tertulliani verborum (italice: « neologismi ») indicem diligenter apparavit H. HOPPE (*Beiträge ...*, pp. 133-148). Quo ex indice 17 nova verba in *De monogamia* libello inesse accipimus, quorum 11 substantiva (*adimpletio*: 5, 2; *cohibitio*: 5, 3; *concarnatio*: 9, 7; *excultor*: 16, 2; *formatrix*: 17, 2; *fraticidium*: 4, 3; *frequentator*: 8, 7; *individuitas*: 5, 1; *interpretator*: 6, 3; *praeventus*: 7, 3; *retractatus*: 2, 1), 2 adiectiva (*impraeputiatus*: 11, 12; *victuarius*: 8, 6), 1 adverbium (*prophetice*: 4, 2), 3 verba (*adpostulo*: 10, 4; *pipio*: 16, 5; *praeculco*: 10, 1).

⁹ Cf., ex gr., *caveo* (*Monog.* 7, 6), *census* (5, 5; 5, 7), *consistere* (2, 1), *forma* (4, 2; 6, 3), *causa* (10, 3: *habere causam*; 7, 4: *obtinere causam*), *postumus* (7, 3), *praeiudicium* (5, 1), *pronuntiare* (9, 4), *provocare* (6, 1), *ratio* (7, 2: *cessantem rationem*; 7, 5: *cessante ratione*), *reatus* (7, 3), etc.

¹⁰ Cf. hos, ex gr., quos « christianismos » appellant: *apostolus* (*ib.* 3, 8 et passim), *baptizare* (8, 1), *caro* (1, 3 et passim), *clerus* (12, 1), *communicatio* (15, 3), *consortium* (10, 4), *creator* (2, 4), *credere* (6, 1), *diaconus* (11, 1), *disciplina* (2, 1 et passim), *dominiclus* (10, 2), *dormire* (11, 10-11), *dormitio* (10, 4), *episcopus* (11, 1; 12, 1-3), *ethnicus* (7, 5), *evangelium* (8, 1), *fides* (6, 1 et passim), *haeresis* (2, 1), *haereticus* (1, 1; 2, 3), *ieiunare* (15, 1), *instrumentum* (4, 1), *laicus* (12, 5), *mortificare* (13, 2), *paracletus* (2, 1 et passim), *presbyter* (11, 1), *prophetare* (6, 3; 7, 9), *psychicus* (1, 1 et passim), *regula* (*fidei*: 2, 3), *resurgere-resurrectio* (10, 4-6), *sacerdos* (7, 8 et passim), *sacramentum* (5, 7; 11, 1), *saeculum* (14, 4; 16, 4), *sanctus-sanctitas* (3, 7), *scriptura* (4, 1; 4, 4), *spiritualis* (2, 1), *testamentum* (6, 2-3), *tinguere* (7, 8), etc.

¹¹ CHR. MOHRMANN, *op. mem.*, p. 243: « ... formation juridique qui a influencé d'une manière très profonde le style de Tertullien ... C'est grâce à cette formation juridique que son style, malgré tout son éclat, ne se perd jamais dans le vague et dans la prolixité. C'est grâce aussi à cette influence que chaque mot a chez lui sa notion exacte et bien claire ». Vide etiam P. MONCEAVX, *op. mem.*, p. 444: « Du latin juridique il (Tert.) a appris à n'être point dupe du cliquetis des mots, à donner aux termes leur valeur propre et leur sens plein, à modeler toujour l'expression sur l'idée, à obtenir le relief sans rien sacrifier du contenu ».

tionis, Tertullianus a *finita quaestione*¹² ad *infinitam*¹³ se conferre et convertere solet:¹⁴ ut, ex. gr., in *Monog.* 2-3, quo in loco, cum « monogamiae disciplinam neque novam neque onerosam » esse demonstrari oporteat (= *quaestio finita*), primum Paracleti doctrina¹⁵ neque nova neque onerosa esse demonstratur (= *quaestio infinita*): « Itaque monogamiae disciplinam in haeresim exprobrant (*scil. psychici*), nec ulla magis ex causa Paracletum negare coguntur, quam dum existimant novae disciplinae institutorem, et quidem durissimae illis, ut iam de hoc *primum* consistendum sit *in generali retractatu*,¹⁶ an capiat Paracletum aliquid tale docuisse quod aut novum deputari possit adversus catholicam traditionem aut onerosum adversus levem sarcinam Domini ».¹⁷

* * *

Haud minus singularem auctor noster se praebet in re grammatica atque syntactica, ubi Graecae¹⁸ et semiticae¹⁹ inflexiones, una cum ceteris Tertullianeae vulgarisque ac senioris Latinitatis²⁰

¹² « Quaestio finita » seu « hypothesis », i.e. ad rem peculiarem pertinens.

¹³ « Quaestio infinita » seu « quaestio generalis » seu « thesis », i.e. ad rem universalem pertinens.

¹⁴ Cf. R. H. BARROW, *Les Romaines* (transl. Gall.), Paris 1962, p. 13: « Cette aptitude à dégager l'essentiel pour en faire une entité abstraite est une des caractéristiques de la dialectique du juriste ».

¹⁵ I.e. Montanismus.

¹⁶ *Generalis retractatus* = « *quaestio infinita* » seu « *generalis* ».

¹⁷ *Monog.* 2, 1.

¹⁸ Animadvertisamus has locutiones: *ut* cum partic. (= ὡς cum partic.: v. *Monog.* 2, 2), *capit* cum infin. (= ἐνδέχεται cum infin.: 2, 1), *quale est* *ut* cum coniunctivo (= τι ἔστι : 8, 7), *habeo* cum infin. (= ἔχω cum infin.: 6, 3; 7, 6), *et* pleonast. anteposita pronomini vel adverbio relat. (cf. ὅς τε, ὁστε, ἄτε : 3, 7; 8, 3; 8, 6; 10, 8; 14, 1; 15, 3); *praeterea*: infin. perf. pro *praes.* (= infin. aor.: 10, 3; 17, 2), indic. perf. pro *praes.* (= perf. Graec.: 10, 5), etc.

¹⁹ Praecipuus est usus genetivi pro adiectivo respondenti (cf., e *Vulg.*: *Gen.* 8, 21 « *odor suavitatis* »; *Ps.* 25, 9 « *viri sanguinum* »; *Ps.* 77, 54 « *mons sanctificationis*; etc.): vide, ex. gr., *Monog.* 3, 3 (« *causam necessitatis* »); 5, 2 (« *duas Graeciae litteras* »), etc.

²⁰ Memoramus ex gr. quosdam anomalos usus:

— declinationum (*alio* pro *alii*: *Monog.* 3, 4; *duo* pro *duae*: 8, 1);

— casuum (genet. pro dativo: *ibid.* 1, 3; *in* cum accus. pro abl.: 5, 2; 7, 2; 9, 7);

— temporum (coniunct. imperf. pro *praes.*: *ibid.* 3, 9);

— modorum (indic. pro coniunctivo caus.: *ibid.* 7, 9; 8, 4; 9, 1);

— pronominum (*ille*, *iste*, *ipse* pro *is*, *hic*, *idem*: *passim*; *alius* pro *alter*: 8, 1; 9, 5; 10, 1; 10, 7; 13, 2; 13, 3; 14, 4; *quis* pro *uter*: 11, 2);

habitibus, usitatas leges grammaticorum variant et mutant, saepeiusque incertam et dubiam non nullorum locorum interpretationem efficiunt. Ceterum difficultates in intellegendo quid is sentiat non semper eius obscuro sermoni tribuendae sunt, cum Noster argumentis augendis studeat, nonnumquam immoderate, in errorem dubitationemque inducens. Sine ulla intermissione contraria opponit, quae promptius refellit, ut ostendat se de adversario qualibet in fronte triumphum agere posse.²¹ Saepenumero quod argumentum refutavit, id paulisper se concedere simulat, quo facilius idem minime firmum, quamquam concessit, esse confirmet.²²

In opusculo autem de quo agitur, dubitatio errorque, quae supra memoravi, sunt deminuta solida compage operis scriptorisque continuā curā lectoris ducendi per singula argumentationis momenta, opportunis transitionis sententiis illustrata. Quarum has exempli causa adduco: « Secedat nunc mentio Paracleti ... Evolvamus communia instrumenta scripturarum pristinarum » (*Monog.* 4, 1). « Quod pertineat ad antiquitatem ... » (*ibid.* 4, 2). « Haec quantum ad primordiorum testimonium et originis nostrae patrocinium et divinae institutionis praeiudicium » (*ibid.* 5, 1). « Sed adhuc quaeramus aliquos originis principes » (*ibid.* 6, 1). « Post vetera exempla originalium personarum aequa ad vetera transeamus instrumenta legalium scripturarum » (*ibid.* 7, 1). « Nunc ad legem proprie nostram id est evangelium, conversi ... » (*ibid.* 8, 1). « Video iam hinc nos ad apostolum provocari » (*ibid.* 10, 1).

— praepositionum (*de* vi causali: *ibid.* 12, 2; 14, 4; 16, 2; partitiva: 4, 3; 8, 7; instrumentalis: 7, 8; 8, 7; *ex, in, per, pro* vi causali: 2, 1; 3, 2; 3, 5; 7, 4; 8, 4; 9, 3 etc.);

— coniunctionum (*nec = ne ... quidem*: *ibid.* 1, 1; 11, 10; 12, 3; *nec = non*: 8, 7; *vel = saltem*: 5, 4; 11, 1; 17, 5);
nec non frequentiam abstractarum vocum pro concretis (cf. *ibid.* 6, 4; 9, 2; 10, 2; 14, 1; 17, 3), adverb. pro adiect. (1, 2; 17, 1), substantiv. abstract. cum « genitivo inverso » pro adiect. (cf. *ibid.* 4, 3 « *unio coniugii* »; 7, 2 « *frequentiam nuptiarum* »; 7, 4 « *extremitas temporum* »; 13, 2 « *in novitate spiritus, et non in vetustate litterae* »), adiect. neutr. cum praepositione vi adverbiali (3, 8 « *in collecto* »; 4, 2 « *de futuro* »; 5, 5 « *in totum* »; 6, 4 « *de proximo* »; 10, 6 « *in aeternum* »; 10, 7 « *in futurum* »; 12, 1 « *e contrario* »).

²¹ Cf. praesertim *De monogamia* libelli capitula 10-14 argumentis adversariorum refutandis constituta.

²² Cf., ex. gr., *Monog.* 14, 1, quo in loco Tertullianus, cum antea Paulinae *Ad Rom.* 7, 2-3 pericopes interpretationem ab adversariis oppositam infirmavit, eam paulisper se probare configit: « *Nunc si et absolute apostolus permisisset in fide amissio matrimonio nubere ...* ».

Quod attinet ad opusculi structuram, singularem quandam congruentiam colligere possumus cum « dispositione » seu « ordine » a maximis eloquentiae praceptoribus constituto.²³

Hanc « rhetoricam » structuram mihi liceat nunc summatim describere:

EXORDIVM (cap. 1)

PROPOSITIO (2, 1)

ARGVMENTATIO:

- A) Thesis: *Paracleti doctrina neque nova neque onerosa est* (2, 2-3)
- B) Hypothesis: *Monogamiae disciplina*
 - a) *neque nova* { Confirmatio (4-9)
 Refutatio (10-14)
 - b) *neque onerosa est* (15-16)

PERORATIO (17).

* * *

Huiuscemodi « dispositionem », quae « classica » dici possit, R. D. SIDER²⁴ nullam invenit in reliquis Tertulliani operibus, nisi in iis quae *De baptismo*, *De carne Christi*, *De resurrectione mortuorum* inscribuntur.

* * *

Restat ut pauca addam de « ironia » et acerbitate quae Nostro ingenitae sunt, quibus is frequentius ut armis utitur, quibusque excellit, praesertim cum res vel argumentatio absurdia detegenda sit. Exempla, passim disiecta, densantur in extremis operis capitulis (cc. 15-17) ad leve psychicorum argumentum indicandum constitutis: confer, ex. gr., *Monog.* 16, 1: « *Rideo autem, cum infirmitas carnis opponitur*, quae summa fortitudo dicenda est. Iterum numero est res virium; resurgere in opera carnis de continentiae otio substantia est laterum. Talis infirmitas et tertio et quarto et usque septimo forsitan matrimonio sufficit ... ». Nonnumquam « ironia », quae in sententia specie innoxia inest, quibusdam declaratur ad-

²³ Cf. CIC. *Inv.*, 1, 20 ss.; *De orat.*, 2, 315 ss.; QUINT. *Inst. or.*, 4-6

²⁴ *Ancient Rhetoric and the Art of Tertullian*, Oxford 1971, p. 31.

verbiis, ut *plane* (cf. *ibid.* 7, 1 « *plane* et nos sic dicimus ... »; 11, 1 « *sciamus plane* »; 15, 2 « *plane* qui exprobrant nobis duritiam ... »), *utique* (cf. *ibid.* 4, 2 « una costa eius decerpta, et *utique* ex pluribus »; 8, 7 « semel apud unas nuptias coenat multis *utique* nubentibus »), vel praepositionibus, ut *licet* (cf. *ibid.* 5, 7 « *licet* et quod fuit in carne aequa esse debueris »; 11, 10 « *licet* nec hoc psychici current »). Dolendum tamen est quod saepe Tertullianus, contentionis vehementia, adeo finem et modum transit, ut in nuda turpiaque verba atque in privatas criminationes²⁵ delabatur.

* * *

Ut concludamus, libellus *De monogamia* egregie affirmat quae sunt « propria Tertulliani » — ut ait MICHAEL PELLEGRINO²⁶ —: « firma quaedam dialectica constitutio miraque membrorum compositio, perspicuitas qua is utitur ad probationem consequendam, nequaquam a disputationis cursu vel capite aberrans, ne tum quidem cum, summo concertationis studio, exaggerat doctas res et eruditas, argumentisque urgentibus, insectatio atque mordax irrisio sub impotentis et effrenatae naturae dictione esse videntur ».

RENATVS VGLIONE

²⁵ Cf., ex. gr., in *Monog.* 12, 3, importunos et graves in episcopum Vtinensem aculeos.

²⁶ *Letteratura latina cristiana*, Roma 1970³, p. 25: « ... le doti più essenziali (di Tert.): la solidità dell'impalcatura dialettica, la sapiente architettura della composizione, la chiarezza con cui mira al fine della dimostrazione senza perdere d'occhio il filo e il punto di partenza, anche quando, nella foga della polemica, accumula il materiale erudito, e, nell'incalzare degli argomenti, l'invettiva, la ritorsione, il sarcasmo sembrano in balia d'un temperamento passionale ed incapace di controllo ».